



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

Capvt XXXIII. Quantopere iudicia hominum, in aliorum factis censendis  
errare poßint?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45699**

CAPVT XXXIII.

Quantopere iudicia hominum, in aliorum factis censendis, errare possint?

**A**D pietatem, in Ecclesia, excitandam, excitauit benignus Dominus nouam quamdam feminarum religionem. Nomen est feminarum Deo dicatarum, *Celestina Annuntiata*; illud ab habitu, incedunt enim togâ candidâ & pallio cæruleo, seu celestis coloris, tectæ: istud habent à sine Fundatricis, cuius mens fuit, honorem Matris Dei, ab Angelo annuntiatae propagare. Ordinis huius Fundatrix fuit, Genuensis illa matrona *Maria Victoria*, quæ primùm An. Christi 1617. die 15. Decembr. viuere desijt. Vitam eius, Italico idiomate, copiosè descripsit quidam Pater Societatis nostræ, qui & confessorius illius fuit, *Ferdinandus Meltio* dictus, cuius librum Archiepiscopus Genuensis, mirabilem Sanctæ illius feminae gestorum conscius approbavit: placuitque is ita, & tantos passim fructus tulit, vt non ita pridem in linguam Germanicam fuerit translatus, Coloniae impressus, & Serenissimæ Annæ Catharinæ Constantiæ Neoburgicæ Ducissæ dedicatus. Fuit illa *Maria Victoria* non tantùm nouæ Religionis institutrix, sed etiam eum Ordinem condidit, in quo absolutissima humanæ perfectionis imago reluceret. Sanctitatem huius feminae Deus grandibus miraculis claram fecit, sed ad sanctitatem, illam, per vias varias, rectas tamen duxit.

Primùm cum esset ab ineunte ætate incitata, ad Deo, in religioso Ordine, seruiendum, inscia Angelo Stratæ nobili iuueni est à parentibus desponsa, cum adhuc 17. annorum puella esset; cui proinde magis parentum, quàm sua voluntate, nupsit. Quid ibi sanctè egerit, aut aduersi sit passa, longum esset enarrare. Neque quidquam dicam eorum, quæ postea sacrarum mulierum antistita, in cœnobio, vel mirabiliter, vel laudabiliter egit. Vidua facta, & coniugatas, & viduas docuit, & omnis generis homines, qua via ad cælum sit tendendum. Non enim satis habuit, non vagari per domos, non serere discordias in vrbe, non otiosi, aut subducere se à consortio virorum; sed illud secum seriò perpendit, quod Christus viuorum ac mortuorum futurus iudex, ad pios im-

I.

II.



Matth. 23. 41.

piosque dicturus, & in aeterni praemij, aut perpetuae damnationis causam allaturus, à paucissimis rectè perpenditur. Dicturus est autem his qui à sinistris erunt; quid? considerate diligenter, & obstupescite: *Discedite à me, maledicti, in ignem aeternum, qui paratus est diabolo & Angelis eius.* Terribile est: sed non tam hoc obstupescite (cùm peccatoris malitia aeternam poenam planè mereatur) quàm id quod sequitur, quodque paucissimi expendunt. Nam cur ait se dicturum: *Discedite à me, maledicti, in ignem aeternum?* si diceret, quia in Deum non credidistis; quia de misericordia mea desperastis, quia nomen meum negastis, quia diabolo homagium praestitistis; quia idola coluistis; quia nomen meum blasphemastis; quia idem vobis fuit sacer, quod profanus dies; quia homicidia, adulteria, furta perpetrastis; quia falsa testimonia dedistis; quia in cubilibus & impudicitijs fuistis; quia superbi, ebrii, iniuriosi fuistis; si, inquam talia diceret, non mirarer, quoniam qui talia agunt, utique regnum Dei non consequentur. Nunc verò audite, quas causas damnationis allegaturum se protestetur; audite, & obstupescite, & videte an non has ipsas causas in vobis inveniatis: cùm enim formulam illam indicasset: *Discedite à me, maledicti, in ignem aeternum;* causas has subnectit: *Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare: sitiivi, & non dedistis mihi potum: hospes eram, & non collegistis me: nudus, & non operuistis me: infirmus, & in carcere, & non visitastis me.* Quo pacto autem haec fieri possint, explicat, dicens: *quàm diu non fecistis uni de minoribus his, nec mihi fecistis.* Propter haec se, ait, maledictos in ignem aeternum esse traditurum: quòd si autem non omittantur, ob eadem praestita beneficia

S. Augustin. lib. de fide &amp; operibus c. 15.

in aeternam vitam atque regnum recepturum. *Non increpatis, quia in eum non crediderunt,* ait S. Augustinus, *sed quia bona opera non fecerunt; ne sibi scilicet quisquam de fide, qua sine operibus mortua est, promittat aeternam vitam.* Nec tantùm medicis, aut parochis infirmos negligentibus, sed omnibus hoc dicit. Quid ergo, pro dolor, fiet delicatis, magnatibus, & mundo immeris, qui erubescerent, si infirmum, aut in carcere positum visitare cogerentur; si pauperem hospitio exciperent, &c. Benedicti ad Dei tribunal, per Angelos, videbunt cibos, potum, vestes, quas pauperibus dederunt, & ipsos hospitio exceptos, infirmos, captos, recreatos, ex-

hiberi



hiberi. Quid exhibebunt homines mundani? in vulgo eminentes? Si nihil exhibebunt, habent sententiam: *Omnis arbor, qua non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Non opus est, ut malum fructum gignat; sufficit, si non facit fructum bonum; iam igne digna est. Quid ergo isti afferent? ea, quibus ætatem omnem triuerunt: crumenas, arcas, saccos auro plenos; vestes & pallia pretiosa; cheles, testudines, citharas; chartas lusorias, astragalos, fritillos; canes venaticos, aquaticos; gladios & pugiones; cantharos, pocula & dolia. Feminae autem torques, annulos, sibiium, chirotheculas, capillos volantes, collaria noui generis, specula, catellos Melitenses, & omnis generis vanitates. *Amen dico vobis, nescio vos,* dicet; non enim hæc signa, sed spinas, flagella, clauos, cruces, charitatem exercendam, suis reliquit.

Matth. 3. 10.

Matth. 25. 12.

Hæc talia cum perpenderet Maria Victoria, marito libera, amorem iam omnem in Deum & proximum, ob Deum diligendum impendit: elemosynis dedita, cibum, potum, vestes, pecunias pauperibus suppeditauit; præcipuè tamen in ægrotos fuit admodum misericors, cumque ipsa esset viribus debilitatis, tamen vbique occasionem quæsiuit, qua ægrotis alijs posset succurrere. Et obtulit ei occasionem Deus. Nam domi illi filium & matrem ægrotos dedit; præter sociam *Petronillam du Passage*, præter aliàs postea, in cœnobio, quæ eius patientiam & charitatem mirificè exercuerunt. Et filium quidem, toto quinqueennio ægrotantem: quo defuncto vehementer doluit, non quòd *Angelum*, ob innocentiam, æstimatum, sed quòd charitatis erga eum exercendæ ansam amisit. Quod diligenter expendant patres, vel matres familiarum, qui illicò fiunt impatientes, quando vxor, aut maritus, vel filius aut filia, & maximè quando seruus, aut ancilla vel ad tres dies ægrotant. Nec enim iam hebdomades, sed dies, sed horas, sed omnes sumptus in pharmacopolio factos, omnes interea labores neglectos numerant. Stulte, nescis tuum lucrum. Negligitur quidem labor, sed interea dat tibi Deus occasionem cælum lucrandi. Nam quod ægrotò coniugi, vxori, filio, seruo facis, ipsi Christo facis; dicuro olim, *infirmus eram, & visitaisti me.* Hoc intuentes benedicti, nulli sumptui, nulli labori parcunt, quando miseris est succurrendum; immò gaudent, sicut agricola messe; sicut



310 Cap. XXXIII. Exemplum pia femina, quae blasphemare putabatur,  
opifex labore oblato. In anthologia Graeci dicunt, medicum tri-  
stari, quando nemo aegrotat, gaudere morbis inualescentibus;  
non quòd alijs optet esse malè, sed quia, nemine aegrotante, nihil  
potest lucrari. Ita Sancti, vt quondam audiant, *Venite benedicite*,  
quia *infirmus* eram, & *visitastis me*; optant se habere occasiones  
lucris spiritualis.

Quare Maria Victoria non contenta opitulari & seruire a-  
grotis, quos domi habebat, excurrit in alias quoque domos, vbi  
morbis afflictos iacere audiebat. Et quia passim audiebat, *agrotan-  
rum consolatrix & mater*, etiam ad aegrotos accerseretur. Immo &  
vltro etiam veniebat, cum non accerferetur. Apud quos multa sa-  
nè diuinitus & prodigiosè patrabat, inter quæ est istud stuppe-  
dum, quod Ferdinandus Meltio lib. 1. c. 5. vitæ illius, narrat.

Accidit aliquando, vt intelligeret, mulierem quamdam de  
corporis & mentis sanitate desperatam, vtrique morti vicinam,  
decumbere. Aduolauit ergo, & inuenit spectaculum prorius  
miserandū. Quarta iam die durauerat desperationis extrema, &  
gestu insanientis scena; & circumstantium comploratio; & vt fit,  
variae de ea hominum coniecturae. Et alij quidem dicebant, eam  
de mentis exiisse potestate; alij autem non dubitabant, ab intem-  
perijs illam & conscientiae stimulis Furijsque exagitari. Itaque pa-  
lâm iactabant, illam quidem saepe, sed vtrique numquam rectè can-  
dideque peccata confessam, odia, ac libidines suas Confessario  
exlauisse, vt casta & sancta haberetur; proinde illi iuste contin-  
gere, vt iam in extremis vti non posset remedio sacramentorum,  
quibus in vita abusa, pro diuina gratia atque amore, iram me-  
ruisset. Itaque mirum non esse, si spem iam nullam habeat, despe-  
rare eam vtiq; assueuisse, quæ diuina seriò non tractauisset. Auxit  
hæc iudicia vehementer tam diuturna insaniae duratio; quartus  
enim iam dies erat, vt dixi, cum iam nulla vel corpori medicina,  
vel animæ exhortatio profuisset. Sive sacerdotes, sive amici, sive  
sociæ aliquid pium in aures clamauissent, semper visa est indignari.  
Vultis plus audire? Dicam plus, sed, ne vos offendat licentia  
peccatorum, moneo, vt cogitetis, omnia in Deo esse infinita at-  
que immensa; adeoq; etiam in illo infinitam esse patientiam &  
bonitatem, qua, cum in terris esset, ille ipse Christus, qui, vt ca-  
cum



cum sanaret, fecit lutum ex spūto, pro gratiarum actione, omnem Ioan. 9. 6.  
ignominiam retulit. Et percutiebant caput eius arundine, & conspu- Marc. 15. 19.  
bant eum, ait Marcus. Hanc igitur patientiam, etiam in hac mu-  
liere ostendit; quæ, ut ad spem erigeretur, omnibus modis est ex-  
citata. Inter cetera, exhibebatur miseræ, misericordiæ fons Chri-  
stus Seruator in cruce appensus; sed auersabatur illa Seruatorem,  
quem neque oculis quidem benignis intueri sustinebat, nam, quasi  
noctua lucis impatiens, à sole vultum auertebat. Iubebant illam,  
in ea effigie, Saluatorem suum saltem osculo venerari; sed os illa  
oculosque pertinaciter claudebat. Quin, ut hinc patientiam,  
Numinis, inde malitiam hominis clarissimè cognoscamus, quod  
dictu, audituque horrendum est, in Sacrosanctam Christi crucifi-  
xi effigiem, cum ingenti circumstantium atque attonitis animis  
impietatem istam detestantium scandalo, millies, milliesque; phle-  
gmata fœdissima expuebat. Denique nutu gestuque omni indica-  
bat, se extremè odisse illum, qui extrema pro illa passus, ut eam  
sanguine suo, ex inferni faucibus liberaret.

Inter omnes, qui tam diro spectaculo adfuerunt, nemo ma-  
gis sacrilegam hanc desperationem abominatus est, quàm Maria  
Victoria; quæ quantò Christum ardentius amauit, tantò grauius  
doluit, hominem sanguine illius redemptum, baptismo ablutum  
& consecratum, vultum illum conspuere, in quem desiderant  
Angeli prospicere. Itaque altè ingemiscens in se descendit, co-  
gitans, an non & ipsa sæpe eundem despiceret? qui in pauperibus  
& miseris utique despuitur: immò an non, in illa ipsa desperata  
femina, Christi sanguine redempta, peccare posset, si de ea despe-  
raret, eamque, sine ope, relinqueret. Nimirum, quò quisque ma-  
gis credit & agnoscit diuinæ misericordiæ infinitatem, eò magis  
de ea sperat, & de nullo etiam maximo peccatore desperat. Itaque  
charitatis, & diuinæ potentiæ memor ad lectum propius acce-  
dens, verbis, precibusque; cœpit iacentem ærumnosæ mulieris ani-  
mum excitare, inducereque in spem cogitationemque meliorem.  
Mirum dictu, quò propius Victoria ad furentem adiit, eò recessit  
infania longius. Vnà autem illam solantibus verbis, & Deum  
precantibus votis adiuit. Per vices nunc ad calum, nunc ad agrā  
conuersa: ut æstuantis animi procellas cœlesti pariter atque hu-  
mana



mana ope tranquillaret. Videte, quid possit præsentia hominum piorum! ut, lumine admoto, tenebræ fugantur; eoque subducto, rursus illico adsunt, ita Victoria vicina orante, ægra quieuit; cessante autem ab oratione cœpit denuò inquieta esse, atque in diris & execrationes erumpens rursus, ut antè, furere. Quod ubi animaduertenterunt mœstissimi insanientis parentes, Victoriæ etiam, atq; etiam rogauerunt, ne à filia sua discederet, sed eam, velut olim Dauid cithara Saulem, ita ipsa precibus placatam retineret. Facile fuit id impetrare ab illa, cuius viscera miseratione, suapte sponte, tangebantur. Siquidem memor illius: *Nos debemus alterutrum diligere*, grauissimè dolebat, feminam eum præsentissimo æternæ damnationis periculo tantopere iactari. Mansit igitur ibi, & crescente misericordia, crescebat etiam ardor pro ea Deum rogandi. Neque sanè ab oratione amplius destitit, donec vidit ægræ tam menti restitutam, & à turbelis intemperijsq; illis quiescentem.

1. Ioan. 2.

## III.

1. Cor. 4.  
S. Augustin.  
tract 90. in  
Ioan.

Retracta hîc, ô bone Lector, cogitationes, quas huc vsque, in perlegenda hac historia, admisisti, & disce, non ante tempus iudicare. *Amemus iustitiam*, ait S. Augustinus, *& iniustitiam detestemur*, &c. ut cum de ipsis rebus quod appetendum est, appetimus, quod detestandum est, detestamur, ignoscatur nobis; quod de occultis hominum aliquando, immò assidue, non vera sentimus. Hoc ad humanam tentationem pertinere arbitror, sine qua duci ista non potest vita: ita ut Apostolus diceret: *Tentatio vos non apprehendat, nisi humana*. Quid enim tam humanum, quam non posse, aspicere cor humanum, & idè non eius latebras perscrutari, sed plerumq; aliud, quam ibi agitur, suspicari? Quamquã & in his rerum tenebris humanarum, etsi suspiciones vitare non possumus, quia homines sumus, iudicia tamen, id est, definitiuas firmas, & sententias continere debemus. Tametsi enim iudicare malum de altero, quando causæ sufficientes ad id ipsum suppetunt, non est illicitum; tamen quando adsunt vel leues tantùm coniecturæ, vel moraliter incertæ, vel quando de rebus occultis iudicatur, non est eiusmodi iudicium conforme regulis prudentiæ, sed est temerarium. Quam verè dixit Christus: *Nolite iudicare secundum faciem, sed iustum iudicium iudicare?* Quis non dixisset hîc astantes rectum iudicium iudicasse? & tamen errarunt, quia secundùm faciem iudicauerunt. Nam illa ipsa femina, cuius animum desperatio ac agri-

1. Cor. 10.

Ioan. 7. 24.



ac ægritudo, sine vlla rerum expectatione meliorum, occupare videbatur, Victoriæ in precando perseverantiâ, à furore ad mentem; à gestu insano ad quietem, à discrimine maximo ad salutem reuocata, cum interrogaretur, cur ab authore salutis, atque ab ipsa Christi crucifixi imagine, paulò priùs adeò abhorruerit vehementer? respondit, se nequaquam à Christo, aut eius effigie, sed ab ipso cacodæmone tantopere abhorruisse. Præsentem enim adfuisse Alastorem meruenda larua visibilem, qui se se, identidem intra Crucem & ipsam interponens, omni vi efficere voluerit, vt, loco Crucifixi infernale monstrum oscularetur. In quam tam impiam suggestionem, cum ipsa nollet consentire, omni se vicissim conatu reluctatam, cacodæmoni in faciem spuisse, osculum sacrilegum execratam, & suasioni tentationique impurissimæ obsticisse: neque tranquillam se fieri potuisse, donec tentator Victoriæ precibus abigeretur.

Duo hinc documenta sumo. I. est, fortissimos in vltimo agone athletas & bene exercitatos requiri. Si ita casti, si, qui sæpe peccata detestari, & cacodæmonè vincere assueuerunt; adeò debent pugnare, cum tam vehementer tententur: quid illis eueniet, quibus peccata allubescunt, qui impuris osculis sunt innutriti? qui agunt, quod nuperrimè de quodam Imperij Comite moriente retulit alius Comes oculatus testis, eum cum Calvinista esset, & alioqui imagines nō curaret sacras, moribundum sibi amicæ suæ effigiem voluisse afferri, eamq; contemplando, animam efflauisse, licet alter ei Comes diceret: quàm longè satius esset, vt Crucifixi imaginem intuereris! Audite hoc & diligenter cordi vestro imprimite, quicumque vos quotidie fœdis animi imaginibus, aut cogitationibus soletis oblectare. Hæ imagines faciliùs possunt ac solent exhiberi: & exhibebuntur tunc vobis, ne dubitate. Neque erit opus tanto labore, non enim assuefacitis vos, vt in faciem his talibus spuatis: sed eas in mente vestra ipsi pingitis. Alterum documentum est: *Nolite iudicare secundum faciem.* Ipsi sæpe medici errant, cum secundum faciem aliquem sanum iudicant, qui est morti proximus; aut cum ægrum censent, qui omni morbo caret. Ita homines errant, nam vt sæpe pessimos pro bonis habent, ita frequenter malos esse censent, quos deberent inter optimos

IV.



optimos numerare. Neque excusamur illico, si argumenta nos habere existimamus. Quid clarius, quàm audire blasphemantem? quid manifestius, quàm videre hominem in extremis constitutum, qui Crucem, qui Christum auerſatur, qui illi millies in faciem spuit? & tamen huic argumento potuit error inesse. Quid credis detrahenti, aut cur auri fidem habes, si te oculi possunt fallere? Quanti decepti sunt secundum faciem iudicantes? Harpyia vultu virgines, effectu fuerunt dracones. Medusa venusto ore, aspicientes in lapidem duravit. Sirenes & vultu, & cantu nauigantes deceperunt. Nimirum, vt Tullius dixit: Mentiuntur perſepe frons, oculi, vultus: oratio verò ſepiſſimè. Vnde multi se ſunt capſi, qui vel vnico aspectu vxores ſibi eligunt; vel ſecundum auditum aurium iudicant de aliorum moribus & probitate. Atque vitiam homines tantum errarent bona iudicando quæ mala ſunt, in quo nulli fit iniuria, & iudicij ſpeculatiui error eſt, ſine culpa! immò bonarum mentium eſt, mala bene explicare; præſertim in hominibus, qui non pertinent ad noſtrum tribunal, ſed ad Dei, cuius iuriſdictionem inuadit, qui occulta cordium temerè iudicat, iuxta illud: *Tu quis es, qui iudicas alienum ſeruum? Domino ſuo ſtat ante cadit.* Sed bona iudicare de alijs, vt dixi, bonum eſt: at ſi bonos, ſi innocentes, ſi ſanctos ſuſpicamur, immò arbitramur impios eſſe, tunc iniuria eſt intolerabilis. Si enim quædam, quæ faciem externam malam habent, intus tamen bona ſunt, atque idcirco error in eſt, ſi mala iudicentur, quantò magis, quæ bonam habent faciem, non debent mala iudicari?

Cic. 1. ad Q.  
Fia. 116

Rom. 14.

V.

Nemo nucem, nemo amygdalam emeret, ſi eam de corticis duritie aut deformitate æſtimaret. De nucleo, de medulla res cenſete, qui vultis *iuſtum iudicium iudicare*. Nemo ſibi plantat de euidencia argumenti. Quid euidentiùs fuerat, quàm cenſere feminam furentem? & à Christo ſe ſe auertentem? immò in eum oris phlegmata millies & millies iaculantem? Et tamen ſpuit illa non in Christum, ſed in ſtygium hoſtem deſtinabantur. Virtus, fortitudo, conſtantia maxima fuit, quod à circumſtantibus crimen deteſtabile iudicabatur. Et ſi vultis ſacrum & certius exemplum, numquid ipſa Sacratiffima Virgo Dei Mater, cum eſſet deſponſata Joſeph, ante quàm conuenirent, inuenta eſt in utero habens

Matth. 1. 18.

rom. 14.



habens de Spiritu sancto. Quas tunc non potuisset excitare tempestates Ioseph, nisi iustus fuisset, atque eapropter illam traducere noluisse? Atque hæc quidem speciem habere videbantur, si quis secundum faciem duntaxat iudicare voluisset. Sunt, qui quæ reuera bona atque laude digna sunt, iudicij temeritate non verentur contaminare. Atque in primis talis est Satan fratrum suorum calumniator: qui audiens Dominum dicentem: *Numquid considerasti seruum meum Iob, quod non sit ei similis in terra, vir simplex & rectus, ac timens Deum?* Ad quæ hostis inuerecundè (nam quem Deus laudauerat, laudari ab omnibus conueniebat) *Numquid, ait, Iob frustra times Deum? nonne tu vallasti eum, ac domum eius, uniuersamque substantiam per circuitum? extende paululū manum tuam, & tange cuncta, quæ possidet, nisi in faciem benedixerit tibi.* Vides iudicium temerarium? quem Deus iustificat, quis est, qui condemnet? diabolus est talis, qui cum opera Iob improbare non possit, intentionem nititur vitiosam ostendere; eumque non filiali, sed seruili timore dumtaxat, ob bona temporalia timere calumniatur.

Iob. 1. 8.

Heli sacerdote sedente super sellam, ante postea templi Domini, cum esset Anna amaro animo, orauit ante Dominum flens largiter, & votum vouit, &c. Quid sanctius? Factum est autem, cum illa multiplicaret preces, coram Domino, ut Heli obseruaret os eius. Porro Anna loquebatur in corde suo, tantumque labia illius mouebantur, & vox penitus non audiebatur. Estimauit ergo eam Heli temulentam, dixitque ei: *Utsquequod ebria eris? digere paulisper vinum, quo mades.* Erat non solum falsum hoc, sed graue, de femina præsertim, & femina Deum colente, iudicium. Plus enim erat, quam suspicio, quæ est opinio mali ex leuibus signis. Et si enim leuia signa sunt ebrietatis, labia alicuius moueri, tamen non quasi opinans, sed ut iudicans dixit: *Utsquequod ebria eris?* Quale etiam iudicium tulerunt, qui Apostolis, varijs linguis miraculosissime loquentibus, cum Dei virtutem agnoscere debuissent, irridentes dicebant: *Quia musto pleni sunt isti.* Et qui videntes viperam pendentem de manu Pauli ad inuicem dicebant: *Vtique homicida est homo hic, qui cum euaserit de mari, ultio non finit eum viuere.* Ac, ne in longum eam, ipsi Christo quoties id accidit, ut, qui eum è miraculis Filium Dei agnoscere debuissent, cum eum viderent dæmonia eiicientem, dicerent: *In*

VI.

1. Reg. 1. 9.

S. Thom. 2. 23

9. 6. 2. 4.

Act. 1. 13.

Act. 13. 4.



Luc. II. 19.

principe demoniorum eiecit demonia. Nequam homines, qui opus manifestum damnare non potuerunt, potestati detraxerunt, eumque iudicauerunt, diabolica arte, demones, per demonem pellere. Quotidianus hic error est, & plerumque mortale peccatum, quod à paucis animaduertitur, ob consuetudinem temerè iudicandi. Vix audis aliquid de altero, veritatis causa, interrogante, circa fidei articulos, & statim hæreticum credis. Vix aspicias faminam paulò compitiùs incedentem, & censeres esse meretricem. Aegriùs quispiam incedit, ebrius putatur. Ardentiùs de Deo loquitur, musto, non Spiritu sancto plenus dicitur. Contingit aliqui infortunium, mox dicitur id utique apud Deum meruisse. Denique, quid iam in publico boni fieri potest, quod non ex hypothesi fieri censetur? Paulò post, nemo in via elemosynam dare, nemo in templo confiteri, aut SS. Eucharistiam crebriùs sumere, immò nemo rosarium, aut in libello orare audebit. Hæc sunt iudicia humana: ista est famæ violatio. Cùm enim fama consistat in existimatione ac iudicio, quod quis de alio apud se concipit, & conceptum euulgat; fama læditur, si quis malam de alio existimationem concipit sine fundamento; ac pleniùs, si peruersum illud iudicium apud alios proferat. Primum in mente solùm consistens, est iudicium temerarium; alterum est detractio, aut infamatio, quæ grauius sentiunt homines sæculo dediti, & famam magni facientes. Sed vos, ô filij Dei, ea contemnite, & alia esse iudicia diuina existimate; neque idcirco, malè vos agere putate, quia mali vos iudicant. Isaac filium suum Iacob, quem palpando explorauerat, pro Esau habuit: ira multi malos putant, qui probi sunt, cùm eos de pellibus & exteriori forma, non de virtute æstiment. Nihil tu illos morare, si Iacob es, errant etiam in ijs, quæ se autumant palpando deprehendisse. Et est Deus, qui innocentiam tuam mundo manifestabit. Denique, sicut magnanimus non extollitur, neque superbit honoribus, quia, cùm virtus non possit sufficienter honorari ab homine, cui debetur honor à Deo, non reputat vllos humanos honores supra se, sed eos potiùs contemnit: ita neque frangitur contumelijs, aut infamatione falsa, sed eas nihili facit: quia videt eas sibi indignè inferri. Et monet vel Epictetus, vnicuique debere satis esse, vt sibi ipsi appareat vir bonus, & neglectis

Gen. 27.

Gen. 27. 2. 1. ad 3.

S. Thom. 2. 2. q. 179. 2. 1. ad 3.

Epictet. in Enchirid. cap. 39.



neglectis aliorum de se iudicij. Miraturque Antoninus, qua ratione homines, cum se præ omnibus diligant, suum tamen de se-ipsis iudicium, præ alieno tam parvi æstiment. Qui sibi conscius est bene, non debet curare, si alij iudicent malè. Vile enim iudicium est, quod erroneum est; & illum ipsum, quem heri laudavit, hodie deprecat adulator.

S. Antonin:  
lib. 12. 2. 4. 5.

C A P V T XXXIV.

Quantis iniurijs à temerè iudicantibus; quantis beneficijs à Deo temerè iudicati innocentes afficiantur?

**D**Erisa olim Anna, & ab Heli, pro ebria, habita, cum postea filiam suam Samuelem Domino offerret, ex sterili foecunda, atque ex contempta honorata facta, in gaudio cecinit: *Dominus mortificat, & vivificat, deducit ad inferos & reducit.* Nempe ille est, qui nos sinit hominum iudicij affligi, atque ab iisdem nos denuò eripit; sicut eripuit Susannam iam, ob falsa senum testimonia, damnatam; quæ, dum ducebatur, ad iudicium retracta inuenta est castimonie speculum, quæ fuerat de adulterio infamata. Hæc enim est ars Dei, vnde mundus pios humiliat, inde ille eos exaltat; sicut etiam plerumque, qui se exaltant, per ipsam exaltationem humiliantur. Igitur *Helcias & uxor eius laudauerunt Deum pro filia sua Susanna, cum Ioachim marito eius & cognatis omnibus: quia non esset inuenta in ea res surpis.* Hæc omnia ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus. Quin etiam ut à facinoribus suis mali deterreantur, si illis manifesta fiat enormitas iniuriarum, quas alijs intulerunt.

I.

1. Reg. 2. 6.

Daniel. 13. 63.

Rom. 15. 4.

Inter eiusmodi scripta, censeo etiam meritò habendam vitam S. Vdalrici celeberrimi Augustani Episcopi, quæ è vetustissimis codicibus, ante Martini Lutheri tempora, Augustæ in lucem edita est, fide utique antiqua. In qua legimus, D. Vdalricum ex itinere aliquando ad Rhenum perlatum incidisse in Comitum, qui fama sanctitatis illius permotus, magni fauoris loco habendum existimavit, si impetrare posset, ut eum in arce sua hospitem susciperet. Quemadmodum etiam hodie DEVM amantes gaudent, si

II.